



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*

*(TEMPLUM SANCTORUM ANGELORUM CUSTODUM)** TEMPLUM SANCTORUM

ANGELORUM CUSTODUM, ROMAE EXSTANS, IN REGIONE VULGO «CITTÀ GIARDINO»

APPELLATA, DIACONIA FIT.

Quandoquidem sacrorum Cardinalium Nobis opportunum visum est numerum augere, ut scilicet pro auctis universae regendae Ecclesiae difficultatibus non solum egregios huiusmodi sive pietate sive sapientia sive prudentia Viros artiore quodam vinculo Nobiscum coniungeremus, sed ipsorum etiam consensu voluntatum operumque conspiratione frueremur; nec iam sufficiebant Romana templa iisdem de more uti titulos presbyterales vel diaconias assignanda, censuimus quaedam alia in urbe Roma exstantia ad dignitatem illam attollere. Quae inter, sacram quoque aedem ponendam profecto putavimus, Deo dicatam in honorem Sanctorum Angelorum Custodum, in ea Urbis regione aedificatam cui Italica appellatio «Città Giardino». Hoc igitur templum Sanctorum Angelorum Custodum, suprema et apostolica usi Nostra potestate, ad gradum dignitatemque *diaconiae* evehimus, omnibus iuribus et privilegiis collatis quibus ceterae in Urbe diaconiae ad normam legum ecclesiasticarum fruuntur. Decernimus autem ut, eius cura qui modo sacrae illi aedi moderatur, Nostrae hae sub plumbo Litterae populo atque clero perlegantur, cum primus post eas acceptas dies festus de praecepto celebrandus advenerit. Cuius rei, cum perfecta fuerit, congruum documentum conficiat atque, de more signatum sigilloque impressum, ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittere idem templi curator studeat.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose servantur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri altero.

IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius	CAROLUS Card. CONFALONIERI S. Congr. Consistorialis a Secretis
---	---

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Franciscus H. Ferretti, *Protonot. Apost. Decanus*

Ioannes Calleri, *Proton.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 7, pp. 496-497 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana